

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

August Bernhard Wilhelm Grosschopff

**De Syphilide Neonatorum : Dissertatio Inauguralis Observationibus Illustrata**

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXXII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1009201700>

Druck    Freier  Zugang





OCR-Volltext

RU med. 1832

Grosschopff, Aug. B. G.







*Med. 1832*

*Srodriv*

# DE SYPHILIDE NEONATORUM.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS  
OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA ROSTOCHIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

S U B M I T T I T

AUCTOR

AUG. BERNH. GUILEL. GROSSCHOPFF

NEOBRANDENBURGENSIS.

---

ROSTOCHII

T Y P I S A D L E R I A N I S .

---

M D C C C X X X I I I .

DE SYPHIIDE  
MEMORATORUM

ВЛАДИМИРСКАГО ТЕАТРАЛЬНОГО  
АРАЛЫК СЫЛДЫРУЛЫ

МАС

НТАРЫЛСА ТА ЧАЙМЫН  
ДОМЫЛЫН СЫЛДЫРУЛЫ

VI

ИМПЕРИЯЛЫК ИЛГІМІЛІК СЫЛДЫРУЛЫ  
СЫЛДЫРУЛЫ

АДАМСКА ТА ГІЛДІЯЛЫ  
СЫЛДЫРУЛЫ

СЫЛДЫРУЛЫ



БІЛДІРІЛІК  
СЫЛДЫРУЛЫ

МІДДЕЛІК

PATRI DILECTISSIMO OPTIMO  
HAS STUDIORUM PRIMITIAS  
PIO GRATIQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

PATRI DEDICATIONE OFICO

ETATUM IN MUNIMENTA MALL

ONICA PROCLAMATIONE

17. 8. 18.

17. 8. 18.

osseq iofisa sibillips cibibivis omelis, nupti  
olusq imitatis mabudni milia vniuersit, insq  
-seboclae intuicqriya telo, id est uirum, leon  
-roberius, ambo, inq, inq, inq, inq, inq, inq

## PROOEMIUM.

**N**eque scribendi cupidine commotus, neque credens, me novi aliquid allaturum, hanc commentationem aggredior, sed, ut gratioso ordinis medicorum adscriberer, solennem hunc scribendi morem sequor. Quam ob causam hoc thema de syphilide neonatorum praecipue elegi, quum tam optimis libris res mihi non satis exposita videatur, tam egomet hunc morbum saepius curandi occasionem habuerim.

Ut igitur parvum hoc specimen tironi mihi indulgeas, lector benebole, rogo atque oro.

### §. 1.

Non tam prioribus, quam nostris adhuc temporibus multum de quaestione: num jam in utero gravidae syphilide laborantis foetus possit infici, nec ne, disceptatum est. *Hunter*<sup>1</sup>), *Girtanner*, *Walch*<sup>2</sup>), *Richter*<sup>3</sup>). *Joerg* multique alii

1) Cfr. Ejusd. Abhandlung über die venerische Krankheit.  
A. d. Engl. Leipzig 1778.

2) S. A. Walch Ursprung, Erkenntniß, Heilung und  
Vorbauung d. vener. Krankheit. Jena 1811. p. 494.

3) Cfr. Ejusd. specielle Therapie. Bd. 5. p. 250.

foetum, durante graviditate, syphilide affici posse negant; *nunquam enim* infantem viderunt paulo post partum morbi nostri symptomata ostendente, quae alii vero auctores saepius animadvertisse contendunt<sup>4)</sup>, atque ipsi sunt, qui semine viri syphilitici eodem conceptionis momento foetum syphilide affici posse censeant: quibus adnumerandi sunt exempli gratia *Capuron et Fleisch.*

### §. 2.

Res experta hodie et indubitata videtur, matrem venereum foetum in utero inficere non posse, quamvis ejusmodi gravidae proles crebro cum diathesi rhachitica aut scrophulosa nascitur, haud raro primis annis conspicua, nisi jam prius partu immaturo vel atrophia extincta fuerit. In primis male de vita foetus agitur, si mater per menses quosdam gravida lue venerea inficitur<sup>5)</sup>, cui temere quoque mercurialia remedia, in primis hydrargyrum muriaticum corrosivum, praebuntur, quod *Kluge*, vir celeberrimus, nosocomii caritatis Berolinensis director, Dzondii methodo curandi diligentissime ponderata satis superque comprobavit<sup>6)</sup>, quam ob rem et quis-

4) Cfr. Swediaur traité complet sur les symptomes etc. des malad. syphilit. Tom. II. Paris 1831.

5) Cfr. Beyers in Hufelands Journ. d. pr. Heilf. 1821. Septbr. — Hufeland ibid. Band 44. St. 1. — Riess diss. de syphilide neonatorum. Berolini 1824.

6) Vid. Rust's Magaz. f. d. ges. Heilkunde. 1828. Bd. 26. Hest 2. p. 112 — 294.

que medicus constituit, curam antisyphiliticam  
sine hydrargyro ad sententias *Ferguson*, *Eck-  
stroem*, *Thomson*, *Carmichael*, *Guthrie*, *Hill*,  
*Oppenheimer*, *Fricke* aliorumque intra gravidi-  
tatis periodum anteponere et adhibere <sup>7)</sup>). Cete-  
terum mulieres quasdam syphiliticas, gravidas  
quidem, medicum requirere non opus est, quum  
morbis, omni producendi vi in systema uterinum  
versa, raro progrediatur.

### §. 3.

Plerique syphiliticarum parturientium infan-  
tes in matris vagina demum inficiuntur. Cum  
enim neonati sint cuti tenuiore et ad infectionem  
procliviore, quam adulti, syphilis omnibus locis  
affectis tanquam malum primarium potitur. Non  
est, quod mater ulceribus venereis affecta partum  
semper inficiat, quia etiam fluore albo syphilitico  
adduci possit malum: quod si accidit, prognosis  
infanti magis prospera est, quia ejusmodi fluorē  
albo levius conjunctum est virus <sup>8)</sup>, quod con-  
tagium ideo *Walch* <sup>9)</sup> genuinum syphiliticum  
esse negat.

### §. 4.

Interdum vero non solum inter partum,

7) Chr. *Fricke's Annal. d. chir. Abthsg. des allgem.  
Krankenh. in Hamburg.* 1828. Th. 1. — *Rust's  
Magaz.* 1830. Bd. 27. Heft 3. — *Oppenheimer  
über Behandl. d. Syphilis ohne Merkur.* 1828.

8) Chr. *Hecker üb. d. vener. Krankh.* p. 448. §. 217.

9) Chr. *Walch I. c.* p. 497.

sed sequenti tempore vel mammarum, vel aliarum matris, lue venerea infectae, partium contactu morbus ille pestiferus infantem afficit; saepe fit, ut valetudinem integrum hicce prodat vultu, quamvis scabies venerea, mammas ingressa, nutricem invaserit. Quum saepissime femina lactans colore egregio atque hilari sit, magnoque cibi et potionis desiderio teneatur — quae res igitur demonstrant, syphilidem perperam nominari cachexiam, quum homines lue venerea affecti complures per annos condylomatibus atque exanthemate laborent, neque cachectici evadant, — infans inficitur opportuno auxilium ferendi tempore praetermisso et brevi tempore extinguitur, vel miserrimus in reliquum vitae tempus redditur.

---

*Sympathomata syphilidis neonatorum.*

§. 5.

Permeans matris genitalia foetus inficitur; diebus sex vel decem post morbi vestigia cernuntur; accidit vero, ut incerto tempore contactu mammarum nutricis, vel alia ratione inficiatur, eaque praecipue in palpebris, labiis, in oris caverna, intestino recto, umbilico, lumbis et in ceteris quoque corporis partibus observentur. Quibus locis pustulae purpureae, lividae, et subcoeruleae, magnitudinem lentis fere habentes apparent, qui aliquot diebus lapsis diruptae illuviem putridam foetidamque effundunt, ulceraque

alba, basi lardo similia neque profunda formant, quae venerea esse facile cognoscuntur<sup>10)</sup>. Frequentissime pustulae vero in lumbis primum observantur, sed evenit quoque, ut in infante, vaginae matris diu adhaerente, primum collum cingentes cernantur, at post quatuor dies in labia abeant et palpebras, gravemque ophthalmiam neonatorum una cum puris profluvio efficiant. Mox tunc cornea obscuratur vel ipsa perroditur, palpebrae violaceo atque carunctula lacrymalis colore livido obducuntur, vasaque conjunctivae turgescunt etc.; assidue adhibitis fomentis tepidis, mercurii sublimati gr. ij aquae destill. Libr. j constantibus, admixta tinctr. Opii Richteri Unc. β, oculus servari potest.

§. 6.

Progrediente neonatorum syphilide in digitis manuum pedumque purulenta tubera formantur, saepe quoque pustulae solito majores inveniuntur<sup>11)</sup>. *Hasper* Parisiis in parvorum expositorum hospitio semper marginem unguium quodammodo corrosum atque paululum ulceratum inventit. Infantes aegrotantes subito emacescunt, vultus senilem induit formam, vox irraucessit,

10) Cfr. *Richter spec. Therapie*, Bd. 5. — *Walch* I. c. p. 493 seq. — *Doublet mem. sur les sympt. et le traitement de la maladie venerienne dans les enfants nouveau-nés*. Paris 1831.

11) Cfr. *Mahon in Mem. de la Société med. d'emulat. à Paris*. Ann. VII. p. 51.

respiratio impeditur, pustulae ulceraque in totius corporis superficie observantur, rhagades quoque, calli et condylomata; ex oculo, naribus auribusque ichor putridus profluit, interdum gravedo adest, in oris caverna aphthae formantur, ossa nasi repentina corripiuntur, et exostoses apparent, quibus febris hectica ac diarrhoea colliquativa adjunguntur, atque infantes teneri, deficiente opportuno auxilio, jam sexta vel octava hebdomade post primariam affectionem miserrime conteruntur. Infans vero si posteriori tempore, a nutrice syphilitica, inficitur, tardius progreditur morbus, qui non solum partem quandam corripit, sed saepissime post quatuordecim dies syphilidem universalem efficit.

**P r o g n o s i s.**

**§. 7.**

Haec plerumque gravior est infantibus quam adultis, et his quidem ex causis:

- 1) quod malum ociosus progreditur;
- 2) quod plerique hujusmodi infantes imbecilli, febri hectica perbrevi laborant, quamobrem cautissime tantum mercurialia adhiberi possunt<sup>12)</sup>;

---

12) Cfr. *Walch* l. c. p. 500.

3) quod, ut non raro fieri novimus, malum  
saepissime celatum, posteriori demum tem-  
pore cognoscitur.

§. 8.

Indicia mala, quorum multis eodem tempore  
observatis propediem infantis mors nuntiatur,  
haecce sunt: magna corporis infirmitas, universalis  
syphilidis infectio primis quatuor vitae hebdomadi-  
bus, ulceræ circa umbilicum et os sacrum, atrophia,  
diarrhoea habitualis, sopor, exostoses capititis, in-  
firmitas ad sugendum, gravedo, fuscus sive cupreus  
ulcerum syphiliticorum oris atque palati color,  
constitutio eorum phagedaenica vel scorbutica,  
ulceræ auris et hypopyon, febris hecticae vesti-  
gia manifesta.

*Cur and i r a t i o.*

§. 9.

Tum Germanicos et Anglicos, quum Franco-  
gallicos et Italicos medicos nostri aevi ratione  
syphilidis curandæ habita duas plane diversas in  
classes secerni constat: hi enim omne malum ve-  
nereum sine mercurio modicis antiphlogisticis  
remediis atque diaeta parca debellandum esse,  
contendunt; illi sine remedio isto syphilidem fun-  
ditus curari posse negant, dum morbus breve  
modo per tempus recedat, ut majore vi postero  
infectum corripiat; syphilidem itaque larvatam  
fuisse putant. Observationes quoque probarunt,

malum per sex menses saepe abfuisse<sup>13)</sup>). Medicis utriusque classis rationes, consideratione dignas, subjiciunt.

§. 10.

Eckstroem<sup>14)</sup> apud permagnum numerum syphilide primitiva affectorum mercurium non adhibens prosperum vidi eventum; omnibus enim medicorum, provinciis praepositorum, relationibus et experientia propria commotus potestatem sibi concludendi factam esse putat: primos insultus syphilidis aequa celeriter, ac mercurio curari posse, neque recidivum reddi morbum, neque secundarios quidem insultus simplici adhibita antiphlogistica methodo in pejus mutari, sed debiliores fieri, quam quum mercurius praebitus fuisset.

§. 11.

Eventus convenientes in hospitio Val de Grâce Parisiis Desruelles<sup>15)</sup> in curanda syphilide sine vel cum mercurio collecti statuunt:

- 1) Syphilidis symptomata primaria quaque curandi ratione breviori tempore, quam chronicā et secundaria repellī.

13) Cfr. Horns Archiv f. med. Erfahrung. 1809. Juli p. 316.

14) Chr. Rust's Magazin. 1830. Bd. 27. Heft 3.

15) Mem. sur le traitement sans mercure etc. contre les malad. vener. Paris 1827. Vide Gersons u. Julius's Magaz. d. ausl. Litter. d. Heilk. 1828. Juli u. Aug. p. 24.

- 2) Utilius sine quam cum mercurio syphilidem primitivam curandam esse.
- 3) Diaetam tenuem atque cibos e vegetabilibus paratos majorem, quam e carne coctos compositosque utilitatem afferre.
- 4) Cibis e carne compositis atque irritantibus morbum, mercurio non adhibito, celerius curatum esse.
- 5) Tenui atque regimine herbario laborantes, mercurio non utentes, breviori tempore convalescere.
- 6) Mercurium et cibos e carne decoctos plerumque impedire, quin prius convalescant aegri<sup>16)</sup>.

In nosocomio quoque Hamburgensi Fricke<sup>17)</sup>, vir peritissimus ac doctissimus, omnibus syphilide primaria laborantibus mercurium negavit, et evenit, ut inde a pluribus annis syphilis secundaria et universalis fere omnis cederet, raroque quidem observaretur.

### §. 12.

Quae cum tam fauste prospereque in lue curanda venerea evenirent, quae fieri posse ante annos quindecim medici Germanici negarant, mercurium ex tempore quodam rarius adhibuerunt rationibus gravissimis commoti: Mercurius enim remedium vehemens est, quod assidue ad-

16) Cfr. von Frorieps Notizen. Bd. 23. № 20.

17) Vide Ejusd. Annalen 1828.

hibitum corporis humani constitutionem labefac-  
tat, atque digestionem, nutritionem, vegetatio-  
nemque perturbans, morbum diurnum, cachexiam  
mercurialem chronicam, non semper salivatione  
effectam, secum trahit.

§. 13.

Scholae veteris asseclae et cultores mercu-  
rium necessarium syphilidis remedium putantes,  
sententiam defendebant, luis venereae naturam  
nostris temporibus mitiorem factam esse<sup>18)</sup>, alii  
vero contendunt, multos lui venereae similes esse  
morbos, qui pseudosyphili<sup>19)</sup> adnumerandi  
essent, nominatimque inter centum ulcera venerea  
primitiva et secundaria falso dicta non decem  
esse, quae verum Hunteri ulcus syphiliticum  
declarent, atque adeo anno 1811 medicus Fran-  
cogallicus quidam, syphilidem nullam existere  
inter homines, dixit.

§. 14.

Sed satis de hac re; monemus vero, non  
dubium esse, quin contagium syphilidis existat,  
attamen vis ejus pestifera nostris temporibus,

18) Cfr. *Lesenberg de mutata morbi venerei natura animadversiones. Rostochii 1830.*

19) Cui praeter morbum Scerlievo, Yaws, Pians, Sib-

magis minuta sit, quam Ulrico ab Hütten adhuc vivo, cuius aetate constat morbum tam celeriter progressum esse, ut omnes in partes repentina diffunderetur, atque systemata cutis ossiumque tali modo corriperentur, exanthemata venerea universalia et exostoses apparerent, ossaque palati et narium carie destruerentur. Num autem revera duo luis venereae, vehementioris ac infirmioris, genera existant, ut medici recentiores credunt atque gravibus rationibus confirmant, observationibus illustrandum est. Certum est, Londini ulceris venerei primarii genus inveniri in prostibulis meretricibusque, quod gangraena velociter enecat, nisi excitantia valida et nervina intrinsecus, terebinthinae oleum extrinsecus adhibeantur. Sed considerandum est, constitutionem singulorum, res adversas, vitam squalidam sordidamque, domicilium vile, cibaria prava et mala, ebrietatem etc. luis venereae vim augere posse, ita ut brevi tempore malum universale exoriatur, atque gangraena et febri nervoso - putrida excitatis aegrotans consciatur, neque peculiaria duo veneni genera statuamus necesse esse.

---

bens merito iste nostris regionibus frequens morbus  
Dithmarsicus, lingua vernacula; „Marschkrankheit“  
adnumerandus.

§. 15.

In argumento nostro exponendo respicimus id, quod ex decenio sexcenti homines syphilitici sine mercurio curabantur; hanc igitur gravem movemus quaestionem: *num liceat statuere, syphilidem neonatorum uti adulorum curandam, atque novam medendi rationem mercu-*  
*riali esse anteponendam?*

Sic se res habet! theoreticus autem dicet eomixus, ut, quod adulto auxilium adferat, infanti quoque prodesse oporteat. Attamen observationes et experientia medicorum practicorum, aliaeque complures consideratione dignae causae comprobant, mercurium in syphilide infantum adhiberi maxime necessarium esse:

- a) Malum enim citius quam in adultis progressum atque mercurio opus est, ut morbi progressum impediamus atque destructiones ossium nasi ac palati aliaque mala, quae gangraena accidente oriuntur, prohibeamus.
- b) Remediis debilitantibus curandi methodus non convenit, quod hujuscemodi infantes, debiles plerumque nati, postero constitutione corporis infirma frui et atrophia laborare solent.
- c) Mercurius, in primis Calomel, constitutioni infantum magis, quam adulorum congruit,

qui facilius quam infantes, illo utentes,  
salivant.

- d) Incommodeum, mercurio in syphilide infantum rejecto subortum, raro compensari potest, quum morbus cito progrediens et malum universale grave tanta vi teneram vitam aggrediat, ut febri hectica et colliquationibus conficiatur, quod secunda nostra relatio probat, infra disceptationi huic adjecta.
- e) Nostri aevi syphilis neonatorum syphilidi adulorum decimi quinti ac decimi sexti seculi non dissimilis videtur, quo tempore enim cito progressa totumque organismum aggressa est, nisi mercurius adhibebatur, quo nos autem, malo uno in loco diutius remanente semper fere egemus.

§. 16.

Quod vero ad curandi rationem specialem attinet, variis modis ea pro tempore est instituenda: tum de prophylaxi igitur, tum de cura pharmaceutica et diaeta haec observanda sunt:

- 1) Impedias, quin femina syphilide affecta inter partum infantem inficiat, atque prospicias, ne postero ille lue venerea corripiatur. — Quam ob causam *Richter* censem, parturien-

tis ~~vaginam~~ infusione et lotione aquae tepidae et levis lapidi caustici vel mercurii sublimati solutionis abluendam esse, in partu arido autem oleum injiciendum, ulcera genitalium venerea, antequam infans ad ea processerit, unguento mercuriali cinereo obducenda, atque in partu tardo arte (forcipe adhibita aut versionis negotio) adhibendam esse opeim. Qui autem parturientem adjuvare velit, ne manus laedantur, cavere et curam adhibere, ut oleo perungantur atque diligentissime postera laventur, quis est, qui opus esse ignoret? Neonatus statim accuratissime eluatur, tum recentibus neque a matre confectis vestimentis ornetur, atque nutrici sanae tradatur necesse est. Qua ratione cl. *Himly*, Gottingae, tuitus est infantem, ex syphilitica meretrice procreatam, qui tali modo servatus est atque prosperrime crevit.

- 2) Si vero in partu infans matre vel postea nutrice infectus est, mercurii leviores doses non infanti, sed lactanti syphiliticae matri vel nutrici praebent, et secundum artis leges praecipiunt calomel, mercurium solubilem Hahnemanni, sublimatum etc. Infans ipse saepis lavetur, quotidie coelo salubri

fruatur, atque, praeter lac matris vel nutricis juscuso carnis vitulinae et pane albo utatur. — Attamen si malum infantis in pejorem partem mutatur, non solum lactans, sed lactens eodem etiam tempore praecaute mercurio curetur necesse est, quia saepissime tarditas lactis oritur, effectusque ejus exiguus serius provenit. *Rosenstein* aliique suadent, caprae unguentum neapolitanum infricari, ejusque lacte infantem ali aegrotantem. Nuperrime autem Lugduni pericula facta ad irritum cesserunt, quia pellim caprinam crassiorem esse, quam ut mercurius resorbatur, verisimillimum est<sup>20</sup>).

- 3) Syphilis vero lactentis in nutricem quoque transire potest. Propterea infanti mammas praebere abnuentem *Girtanner*<sup>21</sup>) jure meritoque reprehendam esse negat; nec enim laudandum est, constitutionem nutricis sanae eo consilio, ut infans sanetur, mercurialibus debilitare. Sin autem nutrix sana ceperit consilium infantem syphiliticum lactandi, diligentissime cavendum est, ne

---

20) Cfr. *Cliet* compte rendu medico - chirurgical des observat. recueillies dans la Salle des Filles-mères de l'Hospital général de la charité de Lyon. Lyon 1823.

21) Vid. Ejusd. Abhandl. üb. d. vener. Krankh. p. 429.

infans, nisi pileolis papillarum apertis a parte antica adhibitis, qui Parisiis „Mamil- lières“ vocati optime resina elastica componuntur, lactat. Infans vero ipse mercurialibus a lue venerea liberandus est.

Qua in re autem medicus practicus hasce summi momenti res probe consideret, velim:

- a) Omnia salia mercuralia ut merc. sublimatus etc. minime convenient, quia infantis digestionem aggredi ipsumque necare queunt. Mercurii praeparatorum aptissima sunt: mercurius dulcis, merc. solubilis Hahnemannii atque Aethiops antimonia lis auratus, qui contritis sulphuris aurati et mercurii vivi iisdem partibus ad leges Pharmacopoeiarum veterum paratur et cujus duodecima vel octava grani pars pro dosi una vesperi ac mane tantum adhibenda est. Hisce vero praeparatis, quum infantes saepe acido gastrico laborent, magnesia carbonica admissenda est. Hae formulae medicae pluribus in casibus probatae sunt, sed formula prima № 1, levioribus in casibus apud unum ad quatuor menses natos, in gravioribus vero apud duos ad decem menses natos infantes formulae № 2 et 3 adhibitae sunt, qua in re monendum est, ex industria

sex per dies infanti modo mercurialia praebenda, atque antequam pergatur tres vel quatuor dies differenda esse, ne constitutio infantis nimis debilitetur; levioribus in cassibus quoque saepe sufficit, *unam* dosin formulae № 1 vel 3 hora quaque vicesima quarta, vel quadragesima octava praebere, ut morbus aliquot hebdomadibus vincatur. Remedia vero si diarrhoeam mediocrem moverint effectus antisyphiliticus non turbatus est; sin diarrhoeam vehementem excitarint, pulveribus rejectis, decoctum radicis salep praebeatur, tunc autem illorum dimidium sumi potest.

№ 1.

Rx Hydrarg. mur. mit.

Sulph. aurat.  $\text{aa}$  gr. ij.

Magnes. carbon.

Gummi arab.  $\text{aa}$  gr. xxvij.

Sacchari albi 3j.

M. siat pulv. divide in xij partes aequales,

S. Vesperi et mane initio pulvis semis.

postero vero totus sumatur, tum quoque  
mammae praebeantur.

*Nº 2.*

R<sup>x</sup> Merc. solub. Hahnem. gr. iiij. + iiij.  
Magnes. carbon. 3ij.  
Gummi arabici 3j.  
Sacch. albi 3iv.  
M. f. p. divide in xij p. aequal.  
Signa ut supra *Nº 1.*

*Nº 3.*

R<sup>x</sup> Merc. dulc. gr.  $\frac{1}{4}$  +  $\frac{1}{2}$ .

Magnes. carbon. gr. v.

Liquir. coctae gr. vij.

M. f. p. dispensa tal. Dos. xij.

Sign. vesperi manequ pulvis.

b) Nonnulli extrinsecus unguento mercurii cincereo corpus perungi, quam intrinsecus, ne infantis digestio debilitaretur, mercurio uti maluerunt. *Himly* pro certo affirmat, se nunquam dubitasse, lactentibus syphiliticis prudenter unguentum illud infriquandum curare, atque ipsum observasse, infantes non tam graviter eo, quam mercurio intrinsecus adhibito, affectos esse. — Optime vero quadam vespera cum granis sex ad decem unguenti neapolitani lumbi et brachia per vices perunguntur, ter perunctis vero illis partibus infans tepida aqua tres per dies lavatur, iterum iterumque triduo perungitur

et lavatur, ita ut novies vel duodecies unguatur. Balneis tepidis et remediis leniter laxantibus, ut syrup. rhei compos., infus. e Senna utamur necesse est, mercurialia autem cuiuslibet generis, simulatque prima febris salivalis et ptyalismus cernantur, submovenda sunt. *Henke* opium, nec minus hepar sulphuris, intrinsecus adhibitum constitutioni infantum tenerae aptum, commendat. At utilitatem balnea hepate sulphuris admixto et intrinsecus remedium *Feileri* quam maximam afferunt: est enim hoc remedium:

Rx Emuls. amygd. dulc. recent. express. ʒiv.

Camphorae gr. i.

M. S. Hora quoaque cochlear dimidium.

Dum aegrotans perunguitur, majore cibuli calore opus est, diaeta congrua, atque mundities maxima observanda, perfrictio quaeque, vel infantis vel lactantis vitanda est. *Meissner*<sup>22)</sup> Lipsiensis, temere mercurii inflictiones extrinsecus adhibitas vituperat, quae diligenter enim et caute in usum vocatae incommodum inferre nequeant. Illae autem suffitiones cinnabaris olim ad-

22) Cfr. Ejusd. Kinderkrankheiten. Leipzig 1828. Th. I.  
p. 286.

hibitae <sup>23)</sup>), quarum Walchianis in scriptis  
mentio fit <sup>24)</sup>), damno fuerunt maximo.

- c) Sin autem infans syphiliticus febri dentitionis et diarrhoeis laborat, mercurii usum tam extrinsecus, quam intrinsecus, quamdiu haec obtingunt, intermitti oportet.  
d) Debilitato atque febri hectica laboranti infanti minime mercurialia congruunt, contra infus. rad. Valerian. decoct. rad. Salep, Arrow-Root, inf. rad. Calami aromat., Gei urbani cum Chinino sulphurico etc. prosunt, donec vires recuperatae, bonis ad concoquendum facilibns nutrientibus, juscule ex carne avium composito et vitello ovi sustentandae, mercurio uti sinunt.  
e) Exanthemata optime tenui sublimati solutione obducenda, uti:

Rx Hydrarg. mur. corros. gr. jj.

Aqua Rosar. 3vij.

Tinctr. Opii R. 3ij.

M.

- f) Oris ulcera celerrime sanantur hoc quotidie ter quaterque linctu adhibendo:

Rx Vitrioli caerulei gr. x.

Mell. Rosarum 3ij.

M.

---

23) Cfr. *Gardane detail de la nouvelle direction du bureau des nourrices de Paris.* Paris 1775.

24) L. e. p. 500.

g) In curanda ophthalmia neonatorum syphilitica, quae saepissime primo infectionis venereae ortu symptomata supra dicta praebet, in primis illa apud exanthemata laudata solutio sublimati tepefacta, ut fomentatio adhibeatur: praeterea oculi quotidie per spongiam a materia purulenta purgentur, caute providenterque aperiantur, dummodo mane oblii sint, tum quoque infusiones inter bulbum et palpebras prosunt, siphonis acie ex angulo oculi externo palpebrae superiori allata. Deinde, ut omnino malum extinguitur residuum, recens paratum unguentum ophthalmicum Richteri Pharmacopoeiae Hannoveranae prodest. Intrinsecus calomel adhibeatur non necessarium esse puto, saepe enim sufficit, primos per dies mane dosin unam praebere, ut alvus ter vel quater solvatur.

*Observationes quaedam.*

I.

Sophia B. in municipio Sch., viginti annos nata, colore egregio et laeto, crine flavo, pulchris oculis caeruleis, mense sexto graviditatis illegitimae a viro ulceribus syphiliticis primitivis in pene laborante, infecta est. Oriebantur quatuor diebus lapsis tria ulcera venerea primitiva in labiis pudendorum, paulisper manifesta, ita ut, nisi leucorrhœa vehemens eodem tempore orta fuisse, medici auxilium vix in usum vocatum fuisse. Qui vero aegrotanti accuratissime inspectae praecepit diaetam tenuem saepiusque salia laxantia, et cognatis imposuit, ut illico vocaretur, si paritura esset. Sed frustra hortatus est: quum dolores praesagientes apparerent obstetrix arcessita est, parturientis morbum ignorans. Infans debilis, rugosus, exanthematis vestigia non exhibens, natus est.

Quarto et decimo die post supra descriptae pustulae margine subrubicundo in lumbis in conspectum venerunt, quae in genitalia cito diffusae sunt, atque hic ac illuc in cruribus et dorso appauerunt. Tum medicum consuluerunt, qui lactentem aegrum mihi ostendit atque permisit, ut quotidie decursum morbi atque remediorum adhibitorum vim observarem.

Matri intrinsecus vesperi et mane horum  
pulverum unus praebebatur:

R<sub>2</sub> Calomelanos gr.  $\beta.$   
Sulph. aurat. antim.  
Opii puriss.  $\alpha\alpha$  gr.  $\frac{1}{4}$ .  
Sacch. albi  $\varnothing$  j. adhibeas.

M. f. p. dispens. tal. dos. xii. ~~seorsim~~ euibore  
Initio infans convalescere cepit, sed aliquot die-  
bus post non solum pustulae cutis auctae, sed  
etiam plurima jam ulcera, basi lardo non dissimilia, orta erant. Matri vesperi manequ mercur.  
solub. Hahnemannis granum atque praeterea  
decoctum specier. lignor. cum rad. Sassa parillae  
praebebatur, infanti autem extrinsecus sublima-  
tum et intrinsecus pulveres sub N<sup>o</sup> i adjecti  
praescripti sunt. Diebus quatuordecim praeter-  
lapsis exanthema infantis valde in meliorem condi-  
tionem emersit, sed hic febri lenta correptus est;  
mater quoque emacuerat, in mammisque lactis  
paululum fuit. Utrique igitur mercurialia non  
exhibita sunt, sed bona nutrientia, Chininum,  
Amara; China, Quassia. Postea non solum ma-  
tris infantisque vires creverunt, sed syphiliticum  
quoque malum omnino fere evanuit. Quod  
malum enim residens usque ad diem decimum  
calomelane utrius adhibito extinctum est.  
Anno post optima valetudine uterque fruebatur.

II.

Mercenarii L. infanti octo hebdomades nato, cuius mater parturient exstincta erat, mulier florentis aetatis, ob turpem vitam infamis, mammas praebuerat. Quem quum cognati aphthis ex diebus quatuordecim laborare putarent, medicus arcessitus est, qui in ore infantis et labiis varia majora minoraque ulcera venerea primitiva, scabie in mammis mulieris istius venerea excitata, invenit. Nutrice lue venerea affecta igitur dimissa, cibo alitus est infans, et medicus methodi in curanda syphilide antiphlogisticae studiosus laxantia praescripsit sperans fore, ut sine mercurio malum illud curaretur. Sed per dies ingrauit, infans debili constitutione praeditus magis magisque emacuit, vix ossibus quasi haesit atque syphilis universalis paulo post in ossium systemate observata est. Medicus alius arcessitus mercurialia, quae prius necessaria fuissent, ob infantis imbecillitatem, atrophiam et febris hecticam merito retinenda esse putavit, praecepitque bona nutrientia, Chininum et balnea aromatica cum acido muriatico; sed frustra; syphilis capit is ossa invasit. Infans insomnes egit noctes, sed ubique ulcera venerea primitiva observata, in oris caverna gangraena affecta sunt, febris hectica cum diarrhoeis colliquativis incre-

vit atque miserrimam infantis vitam mors matura finivit!

III.

Maria R., viginti quinque annos nata, crine flavo et colore pallido, tres pes menses jam syphilide secundaria laboravit. Ulcera venerea primitiva, quibus quinque mensibus ante affecta fuerat, sanata quidem videbantur, nihilominus vero luem universalem produxerunt. Chirurgus quidam arcessitus intrinsecus sublimatum praebuit. Dum ista tali modo curabatur, ut prostibulum leviter ac mente frivola vitam egit et gravida facta. Tempus graviditatis sine modestiis laboribusque praeterlapsum est, atque eo durante, cum secundaria mala venerea recedere cepissent, medici curae se subduxit. Tempore justo infantem sanam sed infirmam parvamque peperit. Quatuor diebus lapsis neonatorum ophthalmia infecta est, quam domestico remedio, aqua Rosarum et Vitriolo albo, curare voluerunt. Ophthalmia quidem evanuit, sed in utroque oculo magnae maculae corneae resederunt. Tunc vero in fronte, in facie et in truncu illud venereum exanthema pustulosum cernebatur, quod in ulceram mutatum infantis valde emacescentis faciem foedissimam reddidit. Medicus requisitus simulac infantem, octo hebdomades natam viderat, sy-

philidem cognovit, et matrem visitans, exceptis duris quibusdam ulcerum cicatricibus, genitalia sana quidem, os vero ulceribus venereis secundariis obductum invenit, quae res diagnosin mali syphilitici magis magisque affirmabant; neque igitur medicus dubitavit, quin malum syphiliticum adesset. Matri pilulas *Dzondii* medicatas praebuit, infantis cuti unguentum mercuriale cinereum, supra memoratum, infriticavit. Primis decem diebus utraque convaluit, ita ut matri soli medicamentum praebendum esse putaret, quum lactens emacesceret et febris lenta affecta esset. Cui dedit:

R<sub>2</sub> Chinini sulphur. gr. x.

Extr. Hyoscyami gr. ii.

Aquae Cinnamomi.


— Foeniculi


Syr. Sacchari  $\frac{aa}{3}j.$


M. D. S. Hora quaque secunda Drachma. Quod quum remedium tres per hebdomades adjunctis balneis aromaticis praebitum esset, lactens evidenter convalescere coepit, cui quoque jus ex carne vitulina compositum et vitellus apponebantur; — mater quoque convaluit, atque praetermissis hebdomadibus sex utraque restituta per annum bona valetudine fruebatur.


---

.  
-  
s  
x  
;  
s  
a











sex per dies infanti modo mercurialia praebenda, atque antequam pergatur tres vel quatuor dies differenda esse, ne constitutio infantis nimis debilitetur; levioribus in cassibus quoque saepe sufficit, *unam* dosin formulae № 1 vel 3 hora quaque vicesima quarta, vel quadragesima octava praebere, ut morbus aliquot hebdomadibus vincatur. Remedia vero si diarrhoeam mediocrem moverint effectus antisyphiliticus non turbatus est; sin diarrhoeam vehementem excitarint, pulveribus rejectis, decoctum radicis salep praebatur, tunc autem illorum dimidium sumi potest.

№ 1.

Rx Hydrarg. mur. mit.

Sulph. aurat.  $\frac{aa}{gr}$  ij.

Magnes. carbon.

Gummi arab.  $\frac{aa}{gr}$  xxviiiij.

Sacchari albi 3j.

M. fiat pulv. divide in xij partes aequales,

S. Vesperi et mane initio pulvis semis.

postero vero totus sumatur, tum quoque  
mammiae praebantur.




image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. [redacted]